

O. COLOMBANO, *Harmonia super vespertinos omnium solemnitatum psalmos sex vocibus decantanda* (Venezia, Gardano, 1579)

Testi

1. Introduzione

Domine ad adiuvandum me festina.

*Gloria patri, & filio & spiritui sancto
sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum amen.
Alleluja*

in quadragesima:

Laus tibi domine rex eterne glorie.

2. Salmo 109

*Dixit dominus domino meo: Sede a dextris meis:
Donec ponam iimicos tuos, scabellum pedum tuorum.
Virgam virtutis tue emittet dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.
Tecum principium in die virtutis tue in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.
Iuravit dominus & non penitebit eum: Tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech.
Dominus a dextris tuis, confregit in die ire sue reges.
Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.
De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.*

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

3.

Salmo 112

*Laudate, pueri, dominum: laudate nomen domini.
Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & usque in seculum.
A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen domini.
Excelsus super omnes gentes dominus, & super celos gloria eius.
Quis sicut dominus, deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in celo & in terra?
Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem:
Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum letantem.*

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

4.

Salmo 121

Letatus sum in his, que dicta sunt mihi: In domum domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis, hierusalem.

Hierusalem, que edificatur ut civitas: cuius participatio eius in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus domini: testimonium Israel ad confitendum nomini domini.

Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum David.

Rogate que ad pacem sunt hierusalem:

& abundantia diligentibus te:

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te:

Propter domum Domini, Dei nostri, quesivi bona tibi.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

5.

Salmo 126

Nisi dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt qui edificant eam.

Nisi dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas domini filij: merces, fructus ventris.

Sicut sagitte in manu potentis: ita filij excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

6.

Salmo 147

Lauda, Hierusalem, Dominum: lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terre: velociter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit cristallum suam sicut bucellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?

Emitte verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aque.

Qui annuntiat verbum suum Iacob: iusticias, & iudicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestavit eis.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

7.

Salmo 110

Confitebor tibi, domine, in toto corde meo: in consilio iustorum, & congregacione.

Magna opera domini: exquisita in omnes voluntates eius.

Confessio & magnificentia opus eius: & iustitia eius manet in seculum seculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator dominus: escam dedit timentibus se.

Memor erit in speculum testamenti sui: virtutem operum suorum annunciat populo suo:

Ut det illis hereditatem gentium: opera manuum eius veritas, & iudicium.

Fidelia omnia mandata eius: confirmata in sculum seculi, facta in veritate & equitate.

Redemptionem misit dominus [aggiunta] populo suo: mandavit in eternum testamentum suum.

Sanctum, & terribile nomen eius: initium sapientie timor domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

8.

Salmo 111

Beatus vir, qui timet dominum: in mandatis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.

Gloria, & divitie in domo eius: & iustitia eius manet in seculum .

Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, & miserator, & iustus.

Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio: quia in eternum non commovebitur.

In memoria eterna erit iustus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor eius sperare in domino, confirmatum est cor eius: non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in speculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria.

Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

9.

Salmo 113

In exitu Israel de egipto, domus Iacob de populo barbaro:

Facta est Iudea sanctificatio eius, Israel potestas eius.

Mare vidit, & fugit: iordanis conversus est retrorsum.

*Montes exultaverunt sicut arietes, & colles sicut agni ovium.
 Quid est tibi, mare, quod fugisti: & tu, iordanis, quia conversus es retrorsum?
 Montes, exultastis sicut arietes, & colles, sicut agni ovium.
 A facie domini mota est terra, a facie Dei Iacob.
 Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.
 Non nobis, domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.
 Super misericordia tua, & veritate tua: nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?
 Deus autem noster in celo: omnia quecumque voluit, fecit.
 Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.
 Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.
 Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.
 Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.
 Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.
 Domus Israel speravit in domino: adiutor eorum & protector eorum est,
 Domus Aaron speravit in domino: adiutor eorum & protector eorum est,
 Qui timent dominum, speraverunt in Domino: adiutor eorum & protector eorum est.
 Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis:
 Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.
 Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum maioribus.
 Adiiciat Dominus super vos: super vos, & super Filios vestros.
 Benedicti vos a Domino, qui fecit celum, & terram.
 Celum celi Domino: terram autem dedit filiis hominum.
 Non mortui laudabunt te, Domine: neque omnes, qui descendunt in infernum.
 Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & usque in seculum.*

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

10.

Salmo 129

*De profundis clamavi ad te, domine: domine, exaudi vocem meam:
 Fiant aures tue intendentes, in vocem deprecationis mee.
 Si iniuriae observaveris, domine: domine, quis sustinebit?
 Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te, domine.
 Sustinuit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in domino.
 A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in domino.
 Quia apud dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
 Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniuriatibus eius.*

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

11.

Salmo 131

*Memento, domine, David, & omnis mansuetudinis eius:
Sicut iuravit domino, votum vovit Deo Iacob:
Si introiero in tabernaculum domus meae, si ascendero in lectum strati mei:
Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitionem:
Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.
Ecce, audivimus eam in effrata: invenimus eum [eam] in campis silvae.
Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.
Surge, domine, in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuae.
Sacerdotes eius [tuis] induantur iustitiam: & sancti tui exsultent.
Propter David, servum tuum, non avertas faciem Christi tui.
Iuravit dominus David veritatem, & non frustrabitur eum [eam]: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.
Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea haec, quae docebo eos: & filij eorum usque in saeculum, sedebunt super sedem tuam.
Quoniam elegit dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.
Hec requies mea in saeculum seculi: hic habitabo quoniam elegi eam.
Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus.
Sacerdotes eius induam salutari: & sancti eius exultatione exultabunt.
Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.
Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem effloreat sanctificatio mea.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.
Sicut erat in principio & nunc &
semper & in secula seculorum.
Amen.*

12.

Salmo 115

*Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.
Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.
Quid retribuam domino, pro omnibus, que retribuit mihi?
Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.
Vota mea domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius: O domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancille tue.
Dirupisti domine [aggiunta] vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen domini invocabo.
Vota mea domino reddam in conspectu omnis populi eius: in atriis domus domini, in medio tui,
Hierusalem.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.
Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.
Amen.*

13.

Salmo 125

*In convertendo dominus captivitatem sion: facti sumus sicut consolati:
Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.
Tunc dicent inter gentes: Magnificavit dominus facere cum eis.*

*Magnificavit dominus facere nobiscum: facti sumus letantes.
Convertere, domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.
Qui seminant in lachrimis, in exultatione metent.
Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.
Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

*Gloria patri & filio & spiritui sancto.
Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.
Amen.*

14.

Salmo 138

*Domine, probasti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.
Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, & funiculum meum investigasti.
Et omnes vias meas previdisti: quia non est sermo in lingua mea.
Ecce, domine, tu cognovisti omnia novissima, & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.
Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.
Quo ibo a spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam?
Si ascendero in celum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.
Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris:
Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.
Et dixi: Forsitan tenebre conculcabunt me:
[versetto mancante:
et nox illuminatio mea in deliciis meis.
Quia tenebrae non obscurabuntur a te,]*

*& nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebre eius, ita & lumen eius.
Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris mee.
Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.
Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terre.
Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.
Mihi autem nimis honor[ific]ati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.
Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc sum tecum.
Si occideris, deus, peccatores: viri sanguinum, declinate a me:
Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates suas [tuas].*

Nonne qui oderunt te, domine, oderam? & super inimicos suos [tuos] tabescebam?

Perfecto odio oderam illos: &

inimici facti sunt mihi.

Proba me, deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est: & deduc me in via eterna.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

15.

Salmo 116

Laudate dominum, omnes gentes: laudate eum, omnes populi:

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas domini manet in eternum.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

16.

Cantico (Lc 1, 46-55)

Magnificat anima mea dominum.

Et exsultavit spiritus meus in Deo, salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancille sue: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius.

Et misericordia eius, a progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordie sue.

Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham, & semini eius in secula.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

